



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 5. Cardinalis Atrebatensis in Galliam Legatur pro Abolenda Sanctione  
Pragmatica

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

## §. V.

Sæcul. XV.  
A. C. 1467.*Cardinalis Atrebatensis in Galliam ab-  
legatus pro abolenda Sanctione  
pragmatica.*

Interea temporis Cardinalis Atrebatensis paulo ante a Papa ad Albiensem Ecclesiam promotus, in Francia Legatus advenit, eo fine, ut Parisiensis Senatus decretum obtineret, quo regii edicti literæ, quibus Ludovicus Galliarum Rex Sanctionem pragmaticam in Regno suo abrogaverat, confirmarentur; præcipua enim Sanctionis capita adhucdum observari compertum erat, eoquod Regis abolitio nullius crederetur esse valoris, nisi etiam Senatus supremi accederet authoritas, atque consensus. Legatus, ut demandatum sibi negotium eo certius ad optatum perduceret exitum, laboris socium sibi adscivit Joannem Balvem Ebroicensem Episcopum, quem Paulus II. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto purpura decoravit, spe concepta, quod ille integram Pragmaticæ Sanctionis abrogationem effecturus esset. Igitur Balves aucupata temporis opportunitate serias selegit, in quibus Parliamentum Mense Octobri a negotiis vacabat. Tum vero abrogationis literas, quas a Rege acceperat, in *Castelleto*, ut  
vocat,

Sæcul. XV. vocant, seu in Parisiensis territorii forensi  
A.C. 1467. curia, approbatas nullo negotio obtinuit.  
 Ubi autem id ipsum in aula Parlamenti  
 Balves confirmari petiit, Joannem a S.  
 Romano, regium Curiae Procuratorem,  
 cujus nomen apud Historicos satis cele-  
 bre est, suis consiliis adversantem reperit.  
 Is enim forti animo sese opposuit, ne Re-  
 gis literæ tabulis Parlamenti infereren-  
 tur, ac Ebroicensi Episcopo, qui Regis  
 nomine eidem minas, & muneris sui  
 privationem intentabat, respondit: in  
 arbitrio Regis positum est, ut me  
 exuere possit officio, quod mihi con-  
 tulit, quamdiu autem illo fungar, ni-  
 hil, quod conscientiam meam lædat, aut  
 in damnum regni cedat, faciam, at-  
 que ideo nunquam legis adeo pruden-  
 tis, sacrisque Ecclesiæ Canonibus conso-  
 næ abrogationem ullo tempore admit-  
 tam: potius tu ipse, utpote Episcopus  
 totus deberes pudore suffundi, quod  
 talia postules, eademque, ut deducantur  
 ad effectum, tanto ardore urgere non  
 dubites.

## §. VI.

*Procurator Generalis constanter  
 oblectatus.*

**P**ræcipuæ rationes, quibus Parlamenti  
 Senatores ad tantam animi firmita-  
 tem